

Toutes les citations sont tirées de Giordano Bruno, *Opere mnemotechniche*, vol. I, Adelphi, Milan 2004.

I. *Iordanus libro*

Visurus magam magni solis filiam,
His procedens e latebris,
Ibis Circeum, liber, in hospicium,
Haud arctis arctis clusum terminis.

Balantes oves, mugientes et boves,
Crissantes haedorum patres
Visurus, univers' et campi pecora
Cunctasque sylvae bestias.

Concentu vario errabunt caeli volucres,
In terra, in und' in aere.
Et te dimittent illaesum pisces maris
Naturali silentio.

Tandem caveto, quando domum appuleris,
Inventurus domestica:
Namque ante fores, aditumqu' ant' atrii
Limosum se praesentans

Occurret porcus, cui si forte adhaeseris:
Limo, dentibu', pedibus
Mordebit, inquinabit, inculcabit
Et grunditu t'obtundet.

Ipsis in foribus, in adituqu' atrii,
Morans genus latrantium
Molestum fiet baubatu multiplici,
Et faucibu' terribile.

Hoc ni desipias, et nisi desipiat,
Metu dentis, et baculi,
Te non mordebit, ipsum non percuties:
Perges, nec te praepediet.

Quae cum solerti evaseris industria,
Interiora subiens:
Solaris volucer te gallus excipiet,
Solis committens filiae [pp. 594-596]

2. *Quis*, queso, rerum modus est ? Ecce sub humano cortice ferinos animos. Convenitne hominis corpus ut cæcum atque fallax habitaculum bestialem animam incolere ? Ubi sunt iura rerum ? Ubi fas nefasque naturæ ? Si repetivit Astræa cælum, cuius ne vestigium quidem terra videat, cur non de cælo saltem apparet Astræa ? Ecce subivimus minime occultum chaos. Cur non miscentur ignibus maria et limpida nigris terris astra, si in terris ipsis et earum gubernaculis nihil est, quod faciem demonstret suam ? Ipsane nos mater natura decipit ? Matrem dixerim an novercam ? Veritati nil ipsa odibilius esse debet falsitate ; bonitati nil ipsa malitia molestius. Non est, non est certe modicum, o clarissima mundi lampas, quod et visibilium et non sensibilibus ratiocinantum circumveniamur igeniis. Cur ergo similem debuimus in ipsa natura ypocrisim experiri ? Si perpauci hominum animi sunt effincti, cur quæso, tot hominum sunt efformata corpora ? Convertere igitur ad partes tuas, o Sol, et tantum naturæ et dignitatis tuæ præiudicium vindicato. Insignito Circem tuam, tu cæterique præpotens diis, ut eidempotentia qua ministerialibus spiritibus proximisque corporum istorum formatoribus imperare valet. Adiuro vos per mendaces vultus errorum ministros, per altam præsidium naturæ potentiam, ut a singulis brutalium specierum individuis humanam abstrahentes faciem, in suas ipsa faciatis extrinsecas atque veraces prodire figuras, si quando repressum cursum obire debent flumina, si quando altum suum arripere debet ignes, si nullum est æterno violentum, si tandem omnia suos ad terminos debent appellare. [p. 606]

3. Mirabile visu, Circe, mirabile : de tot, quos vidimus, hominibus tres quatuorve tantum, qui trepidi ad tuta confugiunt, remansere. Cæteros omnes, quorum alii in proximas se recipiunt cavernas, alii in arborum ramos advolant, alii se dedunt in proximum mare precipites, alii domestici magis ad nostras fores adproperant, in diversi generis animantia video transformatos. [p. 620]

4. Imo proprias explicavere formas. Futurum est ut inculper, Mœri : beneficam Circem maleficam imprudentes homines appellabunt. Ii, qui adhuc perstant, veri sunt homines : Illos nec vult neque potest cantus noster attingisse. [p. 620]

5. MÆRIS : Terrore concutior mea diva et regina, quoniam visu terribiles nobis bestiae comminantur.

CIRCE : Paulo ante formidabas?

MÆRIS : Minimé quidem.

CIRCE : Nunc igitur minor tibi datur timoris occasio.

MÆRIS : Cur id?

CIRCE : Non enim differunt haec quae modo vides bruta et bestias (ut et ipsa nosti) ab iis quos paulo ante videbas homines, praeter quam quod apertos nunc habent ungues, dentes, aculeos, et cornua quae latebant. Imo et hoc te non ignorare volo, quod cum illo careant organo, quod est ad ipsa animorum intima ledenda efficacissimum: longe minus nocua, atque formidanda sunt effecta.

MÆRIS : Quid ipsum?

CIRCE : Lingua.

MÆRIS : Dii me ament quid fecerint magis timeo quam quid dixerint.

CIRCE : Minus ideo sapis. At et hoc indicabo tibi quod et nunc pro eo in quo versaris formidinis genere minus debeas esse sollicita. Ipsi enim, quorum alios cornutos, alios aculeatos, alios ita dentatos, alios letifere unguitos aspicias: erant omnes atque singuli cornu simul et aculeo, et dente, et ungue terribiles. Iam diversa atque singularia quibus se tueri, et alios ledere possint arma nacti sunt, cum prius haberent omnia.

MÆRIS : Quonam pacto id mihi suadebis?

CIRCE : Nescis eum qui manu armatur magis omnibus armari? nescis manum omnibus carere armis: ut omnibus praepotens esse possit armis? ignoras ipsam sibi et aculeos, venena, et cornua, et dentes adaptantem, a nullis sibi timere bestiarum insultibus, et eo tantum instrumento animantibus omnibus quae videntur imperare consuevisse? Temere igitur et impru denter es facta timidior. Omnem igitur formidine pelle ex animo, omnem abigas ambiguitatem, et mecum in ipsorum examen pergito. [pp. 620-622]